



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XXXIII. De Reliquis Delictis Carnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)



**TITULUS XXXIII.  
DE RELIQUIS DELICTIS  
CARNIS.**

§. 419.

*Incestus* **U**TROQUE Jure, Civili & Canonico gravissime prohibetur & punitur *Incestus*, quo nomine intelligitur concubitus cum personis sanguine vel affinitate junctis, ita ut juxta Sacros Canones matrimonium contrahere inter se nequeant. Si quis autem fornicatur cum persona in secundo vel tertio genere affinitatis sibi conjuncta, incestuosus non judicatur; quia talis affinitas non impedit matrimonium juxta Jus Canonicum hodiernum, quod circa impedimenta matrimonii sequimur, non attendendo ad legem civilem 28.).

*Pœna in foro se-  
culari:* §. 420. Delicti hujus pœna mors est, si inter Ascendentes & Descendentes 29.); inter fratrem & sororem committitur: quoad alios consanguineos collaterales mitior vel severior est

28.) L. 15. ff. de rit. nupt. Vid. de Jur. Rer. Eccles. Secl. II. §. 330. Not. 53. & §. 332. Not. 63.

29.) Alicubi talis Incestus igne punitur, Cod. Crim. Bav. p. 1. c. 6. §. 1.



*Dereliquis Delictis Carnis.* 523  
est poena, considerato remotiore vel propinquiore gradu. Incestus inter consanguineos admissus, gravius est crimen, & ideo gravius puniendum, quam inter affines 30.). Nihilominus etiam inter hos in linea Ascendente & Descendente juxta Statuta variorum locorum dicitur poena mortis: alia proportionata in linea collateralis. Si Incestus jungatur cum matrimonio dolose contracto, statuitur confiscatio bonorum 31.): mitigatur tamen poena, si obtenta dispensatione convalescat matrimonium. Levior poena statui solet collateralibus solutis, inter se incestum committentibus: gravior autem, si delinquentes sint conjugati, quia adjungitur adulterium 32.): quamvis juxta aliquas Leges Incestus eandem poenam habeat cum adulterio 33.). Univerſim sciendum est, vix posse aliquid certi statui  
de

---

30.) COTHMANNUS Vol. 3. Resp. 48. n. 18.

31.) Auth. incestas, C. de incest. nupt.

32.) *Si adulterium cum incesto committatur, cum privigna, nuru, noverca, mulier similiter quoque punietur.* L. 38. ff. ad Leg. Jul. de adult.

33.) L. II. §. 1. Ibid. ubi sermo est de milite, qui sororis filiam in Contubernio habuit.



de pœnis hujus criminis ex legibus communibus, uti neque ex Constitutione Criminali Carolina, quæ se refert ad Leges Imperiales, & Jurisperitos consulendos monet: consideranda igitur sunt Statuta Provinciarum.

*In foro Canonico.* §. 421. Jure Canonico omnes Incestuosi, vel qui incestas nuptias contrahunt, excommunicantur 34.). Clericus jubetur deponi, & decem annis pœnitere secundum jus antiquum 35.). recentiore jure in foro contentioso Clericus deponitur: post peractam autem pœnitentiam potest ab Episcopo restitui 36.). Id notandum, non fieri discrimen, an agnatio proveniat ex legitimis nuptiis, an vero ex illegitimo coitu: uti neque, an ex utroque, an solum ex alterutro parente conjuncti sint delinquentes. Intelligitur autem cognatio carnalis, non tamen Legalis aut spiritualis, quamvis etiam tales conjunctiones exigant gravem pœnam arbitrariam 37.).

§. 422.

34.) C. 9. XXXV. q. 3. Clement. un. de Confang. & Affin.

35.) C. 5. dist. 82.

36.) C. 4. §. de adulteriis. De Judiciis.

37.) Plura videantur apud FARINACIUM



*De reliquis Delictis Carnis. 525*

§. 422. Singularis qualitas accedit *Sacrile-*  
*gium* incontinentiæ ratione personæ, ut sit  
sacrilegium: hoc nomine denotatur  
omnis violatio rei sacræ: hoc loco  
intelligitur *violatio personæ Deo dicatæ*  
*per votum continentiæ.* Unde fornicatio  
Religiosi professi & Clerici in Sa-  
cris constituti cum femina soluta, ve-  
re est sacrilegium: in foro tamen ex-  
terno & contentioso haberi solet, ut  
simplex fornicatio. Aggravatur hoc  
crimen per continuatum Concubina-  
tum 38.) : vel si Clericus de facto  
contrahat matrimonium, cuius cri-  
minis poena est, ut Clericus careat  
Officio & Beneficio Ecclesiastico, Pres-  
byter deponatur ab ordine &c. 39.).

§. 423. Præcipua species Sacrilegii  
carnalis est crimen commissum cum  
Moniali per castitatis votum Deo con-  
secrata, cuius violatio habet etiam  
aliquam rationem adulterii & incestus  
40.). In Legibus Civilibus plectitur  
sacri-

---

quæst. 149. tit. 16. GRILLANDUM de  
pen. coit. illic. §. tertio videndum.

38.) Modus procedendi in causis Clerico-  
rum concubinariorum præscribitur in  
Concilio Tridentino Sess. 25. c. 14. de  
Reform.

39.) C. 2. & 9. dist. 28.

40.) Vid. DECIANUS tract. crim. lib. 6. c. 20.



sacrilegus corruptor capitali poena 41.), & bona ipsius applicantur Monasterio, ubi corrupta habitabat 42.): hodie relinquuntur hæredibus delinquentis. Jure Canonico Sacrilegus violator Monialis, Laicus excommunicatur, Clericus privatur Beneficio, incarceratur &c. 43.). Ipsa vero Monialis corrupta deberet detrudi in arctius Monasterium: hodie potius mancipatur carceri perpetuo ad agendam poenitentiam.

*Raptus  
violenti*

§. 424. Aliam aggravantem qualitatem criminibus carnis adjicit violentus *Raptus*. Est quidam *Raptus* Rerum, de quo singulari titulo egimus: est *Raptus* personæ, animo eandem redigendi in servitutem, vel ex alia simili causa, qui vocatur *Plagium*: est *Raptus* matrimonii ineundi causa, de quo dictum, de Jure Rer. Eccles. Sect II. §. 339. Hoc loco, prout *Raptus* pertinet ad *Crimina Carnis*, intelligitur *Virginis, aut honestæ mulieris, vel etiam masculi violenta abductio de loco in locum libidinis exercendæ causa.*

*Pœna.*

§. 425. Jus Civile statuit supplicium capi-

41.) L. 5. C. de Episc. & Cler.

42.) Novell. 124. c. 43.

43.) C. 6. & 28. XXVII. q. 1.



*De reliquis Delictis Carnis. 527*

capitis, & bona raptoris addicit mulieri raptæ 44.). Addit Constitutio Carolina 45.), pœnam Legum communium habere locum, etiamsi femina ipsa in raptum consentiat: maritus enim vel pater habebit accusationem criminalem, tum propter injuriam ipsis illatam, tum propter tranquillitatem publicam ejusmodi violento raptu violatam: pœna tamen ordinaria non facile infligetur illi, qui volentem & consentientem rapit, invitis etiam parentibus, vel illis, in quorum potestate est femina. Ad incurrendam pœnam requirunt aliqui, ut carnalis copula consummata sit cum raptâ: melius dicitur, quod absque actuali coitu crimen jam sit consummatum per violentum raptum animo violandi castitatem. Mitigari tamen pœna posset, si raptor sponte abstinuisset a copula, pœnitentia ductus; secus si a vitio inferendo per accidens fuisset impeditus. Quid Jure Canonico de Raptoribus circa matrimonium cum raptâ contrahendum statutum sit, alibi explicatum est, ubi  
egi-

44.) L. un. C. de raptu virg. seu viduar.  
L. 54. C. de Episc. & Cler.

45.) Art. 118.



egimus de impedimentis matrimonii. Quoad alias pœnas, raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant 46.).

*Sodomia* §. 426. Abominandam luxuriæ speciem constituit *Sodomia*, quo nomine intelligitur concubitus contra nature ordinem, si scilicet mas cum mare, femina cum femina, homo cum bestiis, vel cum diabolo concumbit, aut mas cum femina præposteram venerem exercet. Quanta severitate Judices ejusmodi crimina persequi debeant, patet ex verbis CONSTANTINI & CONSTANTIS Imperatorum 47.): *ubi sexus perdidit locum, ubi scelus est id, quod non proficit scire, ubi venus matatur in alteram formam, ubi amor queritur, nec videtur: jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.*

*Pœna.* §. 427. Ad pœnam ordinariam, *Recut*

46.) Cone. Trident. sess. 24. c. 6. de Reform.

47.) L. 31. C. ad Leg. Jul. de adult.



*De reliquis Delictis Carnis.* 529

cut in aliis atrocissimis criminibus, ita etiam in Sodomia, non requiri aliam consummationem operis, sed sufficere voluntatem & conatum actui proximum, tanquam verior & sanctior opinio a plerisque traditur 48): Pœna autem ordinaria est mortis naturalis supplicium, & quidem juxta Constitutionem Carolinam vivicomburium, sicuti Sodomitæ ipsi, a quibus hoc crimen nomen trahit, igne cœlesti absumpti sunt. Videmus autem hanc pœnam præcipue locum habere in delicto perpetrato cum bestia, quæ simul ad destruendam facti memoriam comburitur: in aliis hujus criminis speciebus dictari solet pœna gladii. Jure Canonico, qui deprehenduntur tali incontinentia laborare, si Clerici fuerint, dejiciantur a Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monasteriis detrudantur: si laici, excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni 49.). Ex Constitutionibus

L I

P II

48.) GAILL de Pace publica lib. i. c. 14. n. 26. DAMHOUDERIUS prax. rer. crim. cap. 98. n. 16. seq. FARINACIUS quest. 148. n. 56. seqq.

49.) C. 4. de Excess. Prælator.

*De Judic. Crim.*



530 Sect. II. Tit. XXXIV.

Pii V. 50.) Clerici essent tradendi Curia<sup>re</sup> seculari, criminaliter puniendi, ut qui animæ interitum non horrescunt, hoc certe deterreat civilium legum vindex gladius secularis.

TITULUS XXXIV.  
DE EXECUTIONE SENTENTIAE CRIMINALIS.

§. 428.

*Executio  
Sententia*

DE Sententia & ejus executione jam dictum est, cum in priori opusculo de Judicio Civili, tum in praesenti Tit. VIII. & passim alibi. Pauca addenda veniunt.

*Fit in auctorem  
criminis:*

§. 429. Executio in Processu Criminali est satisfactio quaedam, quæ fit per condemnatum, opera & ministerio publici executoris pro sententia jam lata observatione. Si quis condemnatur ad mulctam pecuniariam, quam solvere non potest propter paupertatem; executio fieri non debet in bonis uxoris, patris, matris, fratrum

---

50.) Una Pii V. Constitutio refertur in libro septimo Decretal. lib. 5. tit. 16. c. 2. & habetur in Bullario Cherubini inter Constitutiones hujus Pontificis N. 5. altera N. 72.